



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Cur furum deus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ob scandalum Hebræorum Magnatum, idolum Beelphegor publicè adorantium. Num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: ut qui populo fuere duces sceleris, sint exemplum supplicii.*

VI. (b) Sed quare mercatorum, impostorum, furum Præsidentem ac Patronum antiqui putarunt esse Mercurium; eiusque collo sacculum nummarium appenderunt? Respondet Natalis Comes, hoc ideò factum, tum quia eloquentia cum malo & flagitioso ingenio conjuncta multas fraudes invexit in genus humanum; tum quia quibus Mercurii planeta in ortu dominatur, illorum ingenia dicuntur ad furta, & ad omne astutiæ ac nequitia genus accommodata. Nam cum siccus & calidus sit hic planeta, verutos facit & sacundos homines, atque ad omnem calliditatem celerrimos: tot enim habet Mercurius in cælo motuum varietates, & tergiversationes, quot simul omnes reliqui planeta. Nam modò procedit, modò retrocedit: modò sublimis est, modò depressus: modò celerimus, modò stare videtur. Ego verò crediderim; Mercurium fallaciarum inventorem ac concinnatorem ideo factum à Poëtis, quia, cum in furtis ipsa delectet ars fallendi & furandi, opus est ingenio ac solertiâ; unde furtorum optima, quæ ingeniosa. Certè Magnus Augustinus narrat. lib. 3. Conf. c. 4. se puerum cum sociis sublegisse pira ex alieno horto, non ob ipsa pira, sed ob artem & fallaciam in piris furandis adhibitam. Ritus erat, inquit, quasi titillato corde, quòd fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. (i) Quod autem Mercurius Superos adierit ac inferos, etiam ad mercatores pertinet, quibus ad sua lucra per terræ, marisque per vitæ mortisque pericula tendendum, adeoque limen utrumque vitæ ac mortis terendum. Poëta canit:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

Quid, quòd Mercatorem disertum esse oportet, & Mercuriali instructum lingua, ut emptores sibi comparet. Horatio teste,

Laudat, venales qui vult extrudere merces.

Et utinam tantùm laudet, non etiam vitiet, & quas vitiauit merces, obrudat pejerando. Sacculus è collo Mercurii pendens, ostendit, opes malè partas, in jugulum redire parantis, eumque strangulare. Prov. *Qui congregat thesauros lingua mendaci, impinget ad laqueos mortis.*

VII. (k)

(b) Cur Mercurius furum deus? (i) Cur Mercatorum?